

to est major inordinatio in membris, tanto est major turpitudine; & quanto magis à veritate receditur, tanto est major falsitas: non enim est tam magna falsitas æstimantis tria esse quinque, sicut ejus qui æstimat tria esse centum. Bonum autem virtutis in quadam commensuratione consistit: est enim medium secundum debitam limitationem circumstantiarum inter contraria vitia constitutum. Quanto igitur magis ab hac harmonia receditur, tanto est major malitia.

Non est autem simile virtutem transgredi, & terminos à iudice positos transire. Nam virtus est secundum se bonum: unde virtutem transgredi est secundum se malum; & ideo oportet quod magis à virtute recedere sit majus malum. Transgredi autem terminum à iudice positum, non est secundum se malum, sed per accidens, in quantum scilicet est prohibitum. In his autem quæ sunt per accidens, non est necessarium quod si simpliciter sequitur ad simpliciter, & magis sequatur ad magis; sed solum in his quæ sunt per se: non enim sequitur, si album est musicum, quod magis album sit magis musicum; sequitur autem, si album est segregativum visus, quod magis album sit magis segregativum visus.

Est autem hoc inter peccatorum differentias attendendum, quod quoddam est mortale, & quoddam veniale. Mortale autem est quod animam spirituali vita privat: cuius quidem vitæ ratio ex duobus potest sumi secundum similitudinem vitæ naturalis. Vivit enim corpus naturaliter per hoc quod anima unitur, quæ est ei principium vitæ; corpus autem vivificatum per animam ex se ipso movetur, sed corpus mortuum vel immobile manet, vel ab exteriori tantum movetur. Sic igitur & voluntas hominis, cum per rectam intentionem ultimo fini conjungitur, quod est ejus objectum, & quodammodo forma, viva est; & cum per dilectionem Deo, & proximo inhæreat, ex interiori principio movetur ad agendum. Recta autem intentione ultimi finis, & dilectione præferta, fit anima velut mortua, & non movetur ex se ipsa ad agendum recta; sed vel omnino ab eis agendis desistit, vel ad ea agendum solum ab exteriori inducitur, scilicet metu pœnarum. Quæcumque igitur peccata intentioni ultimi finis, & dilectioni opponuntur, mortalia sunt; si vero his salvis aliquis in aliquo recto ordine rationis deficiat, non erit mortale peccatum, sed veniale.

## CAPUT CXL.

Quod actus hominis puniuntur, & præmiantur à Deo.

EX præmissis autem manifestum est quod actus hominis puniuntur, vel præmiantur à Deo.

1. Ejus enim est punire, vel præmiare, cuius est legem imponere: legis enim latores per præmia, & pœnas observantiam legis inducunt. Sed ad divinam providentiam pertinet ut legem hominibus ponat, ut ex supra dictis cap. cxiv. patet. Ergo ad Deum pertinet homines punire, vel præmiare.

2. Præterea. Ubi quæ est aliquis debitus ordo ad finem, oportet quod ordo ille ad finem ducat, recessus autem ab ordine finem excludat: ea enim quæ sunt ex fine, necessitatem sortiuntur ex fine, ut scilicet ea necesse sit esse, si finis debeat sequi, & eis absque impedimento existentibus finis consequatur. Deus autem imposuit actibus hominum ordinem aliquem in respectu ad finem boni, ut ex prædictis patet.

(1) Deest forte divinam, vel Dei.

ter. Oportet igitur quod si ordo ille recte positus est, quod incedentes per illum ordinem, finem boni consequantur, quod est præmiari; recedentes autem ab illo ordine per peccatum, à fine boni excludi, quod est puniri.

3. Adhuc. Sicut res naturales ordini divinæ providentiæ subduntur, ita & actus humani, ut ex prædictis cap. xc. patet. Utrobique autem convenit debitum ordinem servari, vel etiam prætermitti; hoc tamen interest quod observatio, vel transgressio debiti ordinis est in potestate humanæ voluntatis constituta, non autem in potestate naturalium rerum est quod à debito ordine deficiant, vel ipsum sequantur. Oportet autem effectus causis per convenientiam respondere. Sicut igitur res naturales, cum in eis debitus ordo naturalium principiorum, & actionum servatur, sequitur ex necessitate naturæ conservatio, & bonum in ipsis; corruptio autem, & malum, cum à debito, & naturali ordine receditur: ita etiam in rebus humanis oportet quod cum homo voluntarie servat ordinem legis divinitus impositus, consequatur bonum non velut ex necessitate, sed ex dispensatione gubernantis, quod est præmiari; & è converso malum, quum ordo legis fuerit prætermittus, & hoc est puniri.

4. Amplius. Ad perfectam Dei bonitatem pertinet quod nihil inordinatum in rebus relinquat: unde in rebus naturalibus videmus contingere quod omne malum sub ordine alicujus boni concluditur, sicut corruptio aeris est ignis generatio, & occisio ovis est pastus lupi. Cum igitur actus humani divinæ providentiæ subdantur, sicut & res naturales, oportet malum quod accidit in humanis actibus, sub ordine alicujus boni concludi. Hoc autem convenientissime fit per hoc quod peccata puniuntur: sic enim sub ordine justitiæ, quæ ad æqualitatem reducit, comprehenduntur ea quæ debitam quantitatem excedunt. Excedit autem homo debitum suæ quantitatis gradum, dum voluntatem suam divinæ voluntati præfert satisfaciendo ei contra ordinem Dei: quæ quidem inæqualitas tollitur dum contra voluntatem suam homo aliquid pati cogitur secundum (1) ordinationem. Oportet igitur quod peccata humana puniantur divinitus, & eadem ratione bona facta remunerationem accipiant.

5. Item. Divina providentia non solum disponit rerum ordinem, sed etiam movere omnia ad ordinis ab eo dispositi executionem, ut supra ostensum est. Voluntas autem à suo objecto movetur, quod est bonum, vel malum. Ad divinam igitur providentiam pertinet quod hominibus bona proponat in præmium, ut voluntas ad recte volendum moveatur, & mala proponat in pœnam, ad hoc quod inordinationem vitet.

6. Præterea. Divina providentia hoc modo res ordinavit quod una alteri prosit. Convenientissime autem homo proficit ad finem boni tam ex bono alterius hominis quam ex malo, dum excitatur ad bene agendum per hoc quod videt bene operantes præmiari, & dum revocatur à male agendo per hoc quod videt male agentes puniri. Ad divinam igitur providentiam pertinet quod mali puniantur, & boni præmientur.

Hinc est quod dicitur Exod. xx. 5. *Ego sum Deus tuus, visitans iniquitatem patrum in filios, & faciens misericordiam his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*: & in Psalm. lxi. 12. *Reddes unicuique juxta opera sua*: & Rom. 11. 6. *Reddes unicuique secundum*

ope-

opera: his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem; his autem qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio.

Per hoc autem excluditur error quorundam dicentium, quod Deus non punit; dicebant enim Marcion, & Valentinus, alium esse Deum bonum, & alium esse Deum justum, qui punit.

## CAPUT CXLII.

De differentia, & ordine pœnarum.

QUIA vero sicut ex prædictis patet, præmium est quod voluntati proponitur quasi finis quo excitatur ad bene agendum; è contrario pœna voluntati proponitur ut à malo retrahatur, quasi aliquid fugiendum, & malum: sicut de ratione præmii est quod sit bonum, & voluntati consonum; ita de ratione pœnæ est quod sit malum, & contrarium voluntati. Malum autem est privatio boni. Unde oportet quod secundum differentiam, & ordinem bonorum sit etiam ordo, & differentia pœnarum.

Est autem summum bonum hominis felicitas, quæ est ultimus finis ejus. Quanto ergo aliquid est huic fini propinquius, tanto præminet magis hominis bonum. Huic autem propinquissimum est virtus, & si quid aliud est quod ad bonam operationem hominum proficiat, qua pervenitur ad beatitudinem: consequitur autem & debita dispositio rationis, & virtutum ei subjectarum; post hoc autem & corporis incolumitas, quæ necessaria est ad expeditam operationem; demum autem ea quæ exterius sunt, quibus quasi adminiculantibus utimur ad virtutem. Erit igitur maxima pœna hominem à beatitudine excludi; post hanc autem, virtute privari, & perfectione quacumque naturalium virtutum animæ ad bene agendum; dehinc naturalium potentiarum animæ deordinatio; post hoc autem corporis nocementum; demum autem exteriorum bonorum sublatio.

Sed quid de ratione pœnæ est: non solum quod sit privatio boni, sed etiam quod sit contraria voluntati; non autem cujuslibet hominis voluntas existimat bona secundum quod sunt: contingit interdum quod id quod est majoris boni privativum, est minus contrarium voluntati, & propter hoc minus pœnale esse videtur: & inde est quod plures homines qui bona sensibilia, & corporalia magis æstimant, & cognoscunt quam intelligibilia, & spiritualia, plus timeant corporales pœnas quam spirituales: secundum quorum æstimationem contrarius ordo videtur pœnarum ordini supradicto. Apud hos enim maxima pœna æstimantur læsiones corporis, & damna rerum exteriorum; deordinatio autem animæ, & dampnum virtutis, & amissio fruitionis divinæ, in qua consistit ultima hominis felicitas, aut modicum, aut nihil reputatur ab eis. Hinc autem procedit quod hominum peccata à Deo puniri non æstimant, quia vident plerumque peccatores incolumitate corporis vigere, & exteriori fortuna potiri; quibus interdum homines virtuosos privantur. Quod recte considerantibus mirum videri non debet. Cum enim omnia exteriora ad interiora ordinentur, corpus autem ad animam; interiora exteriora, & corporalia bona sunt homini bona, in quantum ad bonum rationis proficiunt; secundum vero quod bonum rationis impediunt, homini vertuntur in malum. Novit autem rerum dispositor Deus mensuram virtutis humanæ: unde interdum homini virtuosos corporalia, & exteriora bo-

na ministrat in adiutorium virtutis, & in hoc ei beneficium præstat; interdum vero ei prædicta subtrahit, eo quod considerat homini illi esse ad impedimentum virtutis, & fruitionis divinæ. Ex hoc autem exteriora bona vertuntur homini in malum, ut dictum est: unde & eorum amissio eadem ratione homini vertitur in bonum. Si igitur omnis pœna malum est; non est autem malum hominem exterioribus, & corporalibus bonis privari, secundum quod expedit ad profectum virtutis: non erit hoc homini virtuosus pœna, si privetur exterioribus bonis in adiutorium virtutis. E contrario autem erit malis in pœnam, si eis exteriora bona conceduntur, quibus provocantur ad malum. Unde & Sapientie xiv. 11. dicitur, quod *creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

Quia vero de ratione pœnæ est non solum quod sit malum, sed etiam quod sit contrarium voluntati; amissio corporalium, & exteriorum bonorum, etiam quando est homini in profectum virtutis, & non in malum, dicitur pœna abusive, ex eo quod est contra voluntatem. Ex inordinatione autem hominis contingit quod homo non æstimet res secundum quod sunt, sed corporalia spiritualibus præferat. Inordinatio autem talis aut est culpa, aut ex aliqua culpa præcedente procedens. Unde consequenter patet quod pœna non sit in homine, etiam secundum quod est contra voluntatem, nisi culpa præcedente.

Hoc etiam ex alio patet, quia ea quæ sunt secundum se bona, non verterentur homini in malum per abusum, nisi aliqua inordinatione in homine existente.

Item quod oporteat ea quæ voluntas acceptat, eo quod sunt naturaliter bona, homini subtrahi ad profectum virtutis, provenit ex aliqua hominis deordinatione, quæ vel est culpa, vel sequitur culpam. Manifestum est enim quod per peccatum præcedens fit quædam inordinatio in affectu humano, ut facilius postmodum ad peccatum inclinetur. Non ergo est absque culpa etiam quod oportet hominem adjuvari ad bonum virtutis per id quod est ei quodammodo pœnale, id est in quantum est absolute contra voluntatem ipsius, licet quandoque sit volitum secundum quod ratio respicit finem.

Sed de hac inordinatione in natura humana existente ex peccato originali, posterius dicetur; nunc autem id tantum manifestum sit quod Deus punit homines pro peccatis, & quod non punit absque culpa.

## CAPUT CXLII.

Quod non omnia præmia, & pœnæ sunt æquales.

CUM autem divina justitia id exigat quod ad æqualitatem in rebus servandam pro culpis pœnæ reddantur, & pro bonis actibus præmia; oportet, si est gradus in virtuosis actibus, & in peccatis, ut ostensum est, quod sit etiam gradus præmiorum, & pœnarum: aliter enim non servaretur æqualitas, si non plus peccanti major pœna, aut melius agenti majus præmium redderetur. Eiusdem enim rationis esse videtur quod differenter retribuatur secundum differentiam boni, & mali; & secundum differentiam boni, & melioris, vel mali, & pejoris.

Præterea. Talis est æqualitas distributiæ justitiæ, ut inæqualia inæqualibus reddantur. Non ergo esset justa recompensatio per pœnas, & præmia, si omnia præmia, & omnes pœnæ essent æquales.

3. Adhuc. Præmia, & pœnæ à legislatore proponuntur ut homines à malis ad bona trahantur, ut ex supradictis patet. Oportet autem homines non solum trahi ad bona, & retrahi à malis, sed etiam bonos allici ad meliora, & malos retrahi à pejoribus: quod non fieret; si præmia, & pœnæ essent æqualia. Oportet igitur & pœnas, & præmia inæqualia esse.

4. Amplius. Sicut per dispositiones naturales aliquis disponitur ad formam, ita per opera bona, & mala aliquis disponitur ad pœnas, & præmia. Sed hoc habet ordo quem divina providentia statuit in rebus, quod magis disposita perfectiorem formam consequuntur. Ergo secundum diversitatem bonorum operum, vel malorum, oportet quod sit diversitas pœnarum, & præmiorum.

5. Item. Contingit excessum esse in operibus bonis, & malis dupliciter: uno modo secundum numerum, prout unus alio habet opera plura bona, vel mala; alio modo secundum qualitatem operum, prout unus alio vel melius, vel pejus opus habet. Oportet autem quod excessui qui est secundum numerum operum, respondeat excessus præmiorum, vel pœnarum: alias non fieret recompensatio in divino iudicio pro omnibus quæ quis agit, si aliqua mala remanerent impunita, & aliqua bona irremunerata. Pari ergo ratione excessui qui est secundum inæqualitatem operum, inæqualitas præmiorum, & pœnarum responderet.

Hinc est quod dicitur Deuter. xxv. 2. Pro mensura peccati erit & plagarum modus. Isai. xxv. 1. 8. In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, vindicabo eam.

Per hoc autem excluditur error quorundam dicentium, in futuro omnia præmia, & pœnas esse æquales.

CAPUT CXLIII.

De pœna quæ debetur peccato mortali, & veniali per respectum ad ultimum finem.

EST autem ex prædictis manifestum quod dupliciter contingit peccare: uno modo sic quod totaliter intentio mentis avertatur ab ordine ad Deum, qui est ultimus finis bonorum; & hoc est peccatum mortale: alio modo sic quod manente ordine humanæ mentis ad ultimum finem, impedimentum aliquod afferatur, quo retardatur ne libere tendat in finem; & hoc dicitur peccatum veniale. Si ergo secundum differentiam peccatorum oportet esse differentiam pœnarum, consequens est quod ille qui mortaliter peccat, sit puniendus sic quod excidat ab hominis fine: qui autem peccat venialiter, non ita quod excidat, sed ita quod retardetur, aut difficultatem patiat in adispiscendo finem: sic enim justitiæ servatur æqualitas, ut quomodo homo peccando voluntarie à fine se divertit, ita pœnaliter contra suam voluntatem in finis ademptione impediatur.

2. Adhuc. Sicut est voluntas in hominibus, ita est inclinatio naturalis in rebus naturalibus. Si autem ab aliqua re naturali tollatur inclinatio ejus ad finem, omnino finem illum consequi non potest; sicut corpus grave cum gravitatem amiserit per corruptionem, & factum fuerit leve, non perveniet ad medium; si autem fuerit in suo motu impeditum, inclinatione ad finem manente, remoto prohibente, perveniet ad finem. In eo autem qui peccat mortaliter, omnino avertitur intentio voluntatis

à fine ultimo; in illo autem qui venialiter peccat, manet intentio conversa ad finem, sed aliquantulum impeditur ex hoc quod plus debito inhæret his quæ sunt ad finem. Igitur ei qui peccat mortaliter, hæc pœna debetur ut omnino excludatur à consecutione finis; ei autem qui peccat venialiter, quod difficultatem aliquam patiatur antequam ad finem perveniat.

3. Amplius. Quum aliquis consequitur aliquid bonum quod non intendebat, est à fortuna, & casu. Si igitur ille cujus intentio est aversa à fine ultimo, finem ultimum assequatur, erit hoc à fortuna, & casu. Hoc autem inconveniens est, quia ultimus finis est bonum intellectus; fortuna autem intellectui repugnat, quia fortuita absque ordinatione intellectus proveniunt: inconveniens autem est quod intellectus suum finem consequatur non per viam intelligibilem. Non ergo consequitur finem ultimum qui peccans mortaliter habet intentionem aversem ab ultimo fine.

4. Item. Materia non consequitur formam ab agente, nisi fuerit ad formam disposita convenienter. Finis autem, & bonum est perfectio voluntatis, sicut forma materiæ. Voluntas igitur non consequitur ultimum finem, nisi fuerit disposita convenienter. Disponitur autem ad finem voluntas per intentionem, & desiderium finis. Non igitur consequitur finem cujus intentio à fine avertitur.

5. Præterea. In his quæ sunt ordinata ad finem, talis habitudo invenitur quod si finis est, vel erit, necesse est ea quæ sunt ad finem, fore; si autem ea quæ sunt ad finem, non sunt, nec finis erit: si enim finis esse potest etiam non existentibus illis quæ sunt ad finem, frustra per hujusmodi media quæritur finis. Ostensum est autem apud omnes, quod homo per opera virtutum, in quibus præcipuum est intentio finis debiti, consequitur suum ultimum finem, qui est felicitas. Si ergo aliquis contra virtutem agat ab intentione ultimi finis aversus, conveniens est quod ultimo fine privetur.

Hinc est quod dicitur Matth. vii. & Psalm. vi. 9. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

CAPUT CXLIV.

Quod per peccatum mortale ultimo sine aliquis in æternum privatur.

Oportet autem hanc pœnam qua quis privatur ultimo fine, esse interminabilem.

1. Privatio enim alicujus non est nisi quando natum est haberi: non enim catulus mox natus dicitur visu privatus. Ultimum autem finem non est homo aptus natus consequi in hac vita, ut cap. xlv. probatum est. Privatio ergo hujusmodi finis oportet quod sit pœna post hanc vitam. Sed post hanc vitam non remanet homini facultas adipiscendi ultimum finem. Anima enim indiget corpore ad consecutionem sui finis, inquantum per corpus perfectionem acquirit & in scientia, & in virtute; anima autem postquam fuerit à corpore separata, non redit iterum ad hunc statum, quod per corpus perfectionem accipiat, sicut dicebant transcorporationem ponentes, contra quos superiores disputatum est. Necesse est igitur quod ille qui hac pœna punitur, ultimo fine privetur, & in æternum privatus remaneat.

2. Adhuc. Si quis privatur eo quod est in natura ejus ut habeatur, impossibile est illud reparari,

de-

nisi fiat resolutio in præjacentem materiam, ut iterum aliud de novo generetur, sicut quum animal amittit visum, aut alium sensum. Impossibile est autem quod id quod jam generatum est, iterum generetur, nisi primum corruptatur; & tunc ex eadem materia poterit aliud iterum generari, non idem numero, sed specie. Res autem spiritualis, ut anima, vel Angelus, non potest resolvi per corruptionem in aliquam præjacentem materiam, ut iterum generetur illud idem specie. Si igitur privetur eo quod est in natura ipsius ut habeat, oportet quod in perpetuum maneat talis privatio. Est autem in natura animæ, & Angeli ordo ad ultimum finem, qui est Deus. Si ergo ab hoc ordine decidat per aliquam pœnam, in perpetuum talis pœna manebit.

3. Item. Naturalis æquitas hoc habere videtur quod unusquisque privetur bono contra quod agit: ex hoc enim reddit se tali bono indignum: & inde est quod secundum civilem justitiam, qui contra rem publicam peccat, societate reipublicæ privatur omnino vel per mortem, vel per exilium perpetuum: nec attenditur quantum fuerit mora temporis peccando, sed quid sit contra quod peccaverit. Eadem autem est comparatio totius vitæ præsentis ad rem publicam terrenam, & totius æternitatis ad societatem beatorum, qui, ut supra ostensum est, ultimo fine æternaliter potiuntur. Qui ergo contra ultimum finem peccat, & contra charitatem, per quam est societas beatorum, & tendentium in beatitudinem, in æternum debet puniri, quamvis aliqua brevi temporis mora peccaverit.

4. Præterea. Apud divinum iudicium voluntas pro facto computatur: quia sicut homines vident ea quæ exterius aguntur, ita Deus inspicit hominum corda. Qui autem propter aliquod temporale bonum aversus est ab ultimo fine, qui in æternum possideret, præposuit fruitionem temporalem illius boni temporalis, æternæ fruitioni ultimi finis: unde pater quod multo magis voluisset in æternum illo bono temporalis frui. Ergo secundum divinum iudicium ita puniri debet ac si æternaliter peccasset. Nulli autem dubium est quod pro æterno peccato æterna pœna debeatur. Debetur igitur ei qui ab ultimo fine avertitur, pœna æterna.

5. Adhuc. Eadem justitiæ ratione, pœna peccatis redditur, & bonis actibus præmium. Præmium autem virtutis est beatitudo, quæ quidem est æterna, ut supra ostensum est. Ergo & pœna, qua quis à beatitudine excluditur, debet esse æterna.

Hinc est quod dicitur Matth. xxv. 46. Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

Per hoc autem excluditur error dicentium pœnas malorum quandoque esse terminandas. Quæ quidem positio ortum habuisse videtur à positione quorundam Philosophorum, qui dicebant omnes pœnas purgatorias esse, & ita quandoque terminandas. Videbatur autem hoc persuasibile tum ex humana consuetudine: pœnæ enim humanis legibus inferuntur ad emendationem vitiorum, unde sicut medicinæ quedam sunt; tum etiam ratione. Si enim pœna non propter aliud inferretur à puniente, sed propter se tantum, sequitur quod in pœnis propter se deleberetur: quod bonitati divinæ non congruit. Oportet igitur pœnas propter aliud inferri: nec videtur aliud convenientior finis quam emendatio vitiorum. Videtur igitur convenientior dici, omnes pœnas purgatorias esse, & per consequens quandoque terminandas; quum etiam illud quod est purgabile, accidentale sit ratione creaturæ, & possit removeri abs-

que consumptione substantiæ.

Est autem concedendum quod pœnæ inferuntur à Deo non propter se, quasi Deus in ipsis deleberetur, sed propter aliud, scilicet propter ordinem imponendum creaturis; in quo bonum universi consistit. Exigit autem hoc ordo rerum ut proportionaliter omnia divinitus dispensentur propter quod dicitur in Libro Sapientiæ, quod Deus omnia facit in pondere, numero, & mensura. Sicut autem præmia proportionaliter respondent actibus virtuosis, ita pœna peccatis; & quibusdam peccatis proportionantur pœnæ sempiternæ, ut ostensum est. Infligit igitur Deus pro quibusdam peccatis pœnas æternas, ut debitus ordo servetur in rebus, qui ejus sapientiam demonstrat.

Si quis tamen concedat omnes pœnas ad emendationem vitiorum induci, & non propter aliud; non tamen propter hoc cogitur ponere omnes pœnas purgatorias & terminabiles esse: nam & secundum leges humanas aliqui morte puniuntur, non quidem ad emendationem sui, sed aliorum. Hinc est quod Prov. xix. 25. dicitur: Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Quidam etiam secundum humanas leges à civitate perpetuo exilio excluduntur, ut eis subtractis, civitas prior reddatur: unde dicitur Prov. xxii. 10. Ejice derisorem, & exibat cum eorum, cessabuntque causæ, & contumelia. Nihil igitur prohibet, etiam si pœnæ non nisi ad emendationem morum adhibeantur; quin secundum divinum iudicium aliqui debeant à societate bonorum perpetuo separari, & in æternum puniri, ut ex perpetua pœnæ timore homines peccare desistant, & bonorum societas purior ex eorum separatione reddatur, sicut dicitur Apocal. xxi. 27. Non intrabit in eam, id est in Hierusalem celestem, per quam designatur societas bonorum, aliquid coinquatum, aut faciens abominationem, & mendacium.

CAPUT CXLV.

Quod peccata puniuntur etiam per experientiam alicujus nocivi.

NON solum autem qui contra Deum peccant, puniendi sunt per hoc quod à beatitudine perpetuo excludantur, sed etiam per experientiam alicujus nocivi.

1. Pœna enim debet proportionaliter culpæ respondere, ut supra cap. præc. ostensum est. In culpa autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat, per hoc quod excludatur à fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum.

2. Amplius. Pœnæ inferuntur pro culpis, ut timore pœnarum homines à peccatis retrahantur, ut supra loc. cit. dictum est. Nullus autem timet amittere id quod non desiderat adipisci. Qui ergo habent voluntatem aversem ab ultimo fine, non timent excludi ab illo. Non ergo per solam exclusionem ab ultimo fine à peccando revocarentur. Oportet igitur peccantibus aliam pœnam adhiberi, quam timeant peccantes.

3. Item. Si quis eo quod est ad finem, inordinate utitur, non solum fine privatur, sed etiam aliud nocumentum incurrit, ut patet in cibo inordinate assumpto, qui non solum sanitatem non affert, sed etiam ægritudinem inducit. Qui autem in rebus creatis finem constituit, eis non utitur secundum quod de-

de-